

I. N. J.
PALLADIUM TORGENSE,

In
FESTO SECULARI
FORMULÆ CONCORDIÆ,

Præsente

Serenissimo Electore Saxon. Domino nostro Clementissimo,

DN. JOHANNNE
GEORGIO II.

Juliae Clevæ & Bergæ, &c. &c.

Burggravio Magdeburgense, &c.

Ejusq; jussu die VII. Junii Anno M. DC. LXXVI.

Qvo jam

Ante ipsum seculum à summis Theologis

iisque Orthodoxis

TORGÆ CONGREGATIS, CONSCRIPTA FORMULA
primùm prodierat, inq; Arce Electorali, à Dura Petra
nomen trahente,

Sereniss. Elect. p. m. AUGUSTO

fuerat exhibita

Mythologicè brevibus lineis adumbratum

à

M. JACOBO REICHMANNO, Scholæ

Torg. Rectore.

TORGÆ,

Literis JOHANNIS ZACHARIÆ HEMPI, Sereniss.
Elect. Saxon. Typog.



L. N. J. P.
PALLADIUM TORONTO

1850

FORMERLY OF TORONTO

THE UNIVERSITY OF TORONTO

LIBRARY

1850

1850

1850

1850

1850

1850

1850


1850

1850

1850

1850





I. N. J.



ubila TORGA canit, rumpantur & ilia Caco,
Agmen & omne crepet Furiarum. Jubila cœlum,
Jubila terra refert: Ecclesia personat. Ipse
Jubilat ELECTOR gratantia jubila mandans

TORGA Tibi, quæ nunc revoluto seculo in orbem

Jubilus hic annus, nec non CONCORDIÆ Amicæ

FORMULA concinnat, cujus debetur origo

Et natale solum TORGÆ. Quo lecta virorum

Pars conscripta gravi normâ, flos optimus almæ

EUSEBIÆ, ante decem decies consistere messes

Principis auspiciis, augusto munere digni

AUGUSTI, (ad nomen felix assurgite Musæ)

Jussa labore pio & concordi jungere fœdus,

Quoq; ligaretur discors CONCORDIA pactum

Firmare æternum. Fiunt primordia fœtus

Nomine seu Legis veniat, seu Fœderis arcti

Ad constringendos animos diversa docentum,

Solvendosq; dolis plenos & fraude cothurnos;

Sat vidisse fuit TORGÆ tantum indolis esse,

Ut niti ulterius primo molimine possit

Per multos ævi cursus, ut læta secundi

Secula Natales inceant, ac jubila curent.

Gratulor ergò novo seculo exurgenti ab Eoo

Primo. Ante omnes lux ô felicissima salve!

Candidiore nota, niveo signanda lapillo,

Salve Lux, quæ non incerto exorta rotata

A

An

Annorum surgis, sed quam clementia summi
Numinis ad summum duxit per lustra decorem,
Secula quæ nobis tanto exorsura favore
Nos nostri officii memores in vota vocabis.
Si licet ergo mihi tantas comprehendere laudes,
Siquam novam fas est signare ab imagine formam;
PALLADIUM TORGENSE canam, rediturus in altum
Circuitu ad primas sedes: similiqve colore
PALLADII antiqui primæva exordia sistam,
Tu verò **EUSEBIE**, seu cœli culmina pandis,
Sive pias flatu gaudes impellere mentes,
Implorata veni, & dicenti suggere robur.
Nec pigeat Proceres consueto more benignas
Attendisse aures, linguisq; auxisse favorem,
Ac placido vultu nostro inclinasse labori.
Sic vos **PALLAS** amet, sic vestros **PHŒBUS** honores
Maestet, & **EUSEBIE** multis vos dotibus ornet,

PALLADIUM ante alios qui religione colebant
Troës erant, Divum soboles, venerabile nomen,
Cana vetustatis quod vexit ad æthera Fama,
Supra Euri Zephyriq; domos, septemq; Triones.
Ecquis erit Vatum, qui non tam splendida rerum
Dardaniæ gentis celebrarit carmine? **Qui** non
Ingenio quæsitæ suo studioq; subacta
In medium dederit, gaudens revocare sepulta
PERGAMA, funestis latè dispersa favillis,
Ipse quis **Æneas** fuerit? quis maximus **Hector**?
Quid super impositam molem radicibus altis
Funditus eruerit? quis totam everterit Urbem?
Et cur fumet adhuc bacchantibus undiq; flammis
Troja, nec ultrices ex scriptis deleat iras?
Omnia jam doctis passim vulgata libellis,

Ut

Ut nec notus Hylas adeò, aut cantatus Orestes,
 Scilicet antiqvis Phrygiæ regionibus olim
 Urbs fuit, insignesq; illam tenuère coloni,
 Ut caput atq; decus non exuperabile ferro:
 Sic quoq; major erat sceptris submittere gentes,
 Æternasq; sibi victrici incingere lauros:
 Angustum citra pontum Nepheleidos Helles,
 Inter Sigæum mare Rhœteumq; , propinqua
 Littoribus raucis, ubi terminat unda superbum
 Imperium, quâ se tellus Asiatica valdè
 Jactitat, atq; polo similem per aperta locorum
 Effert, remigio quoties pro more fatigat
 Militem, & instructas puppes exasperat undis.
 TROJÆ nomen erat, quia quondam TROE superbo
 Condita, qui statuit moliri mœnia latè,
 Primùm parva loco, quia Dardanus optimus ante
 Sparserat auspiciis lætis modo pendula ligna,
 Facturus teneris Urbis primordia cunis,
 Dardaniamq; suo de nomine dixerat arcem.
 Post hunc eximiæ laudis succensus amore,
 TEUCER, Dardaniis transcribens sceptrâ colonis,
 Ædibus ornandis solidissima Saxa futuri
 Imperii immenso congesta labore coërcet,
 Intraret quo major honos, fit TEUCRIA nomen,
 Murosq; excelsis super ordine turribus æquat,
 TROIS Erichthonii Regis non ultima proles
 Surgentem evexit parili moderamine Trojam,
 TROS Pater & Regū, quo nec tum ditior alter,
 Nec fuit in Phrygio præstantior orbe. Sed ILO,
 Extremùm hæc stabilita Ducum monumenta vetustæ
 Urbis ut extarent, placuit volventibus annis
 Castigare domos, spacia ac emensa frequenti

Illustrare manu, magnis & rebus agendis,
Dardaniis lignis tot conformata videres
Culmina, regales per multâ luce coruscas
Sollicitare arces, nullo discrimine turres
Surgere sub cœlo, cœliq; laceffere culmen,
Ergò novum molitur opus, quod fama perennis
Æternum servaret adhuc, si fata tulissent.
Nam super extructis, stat, mœnibus atria propter
PALLADIS innuptæ solemnia templa parare,
Atq; educta modis variis spectanda referre,
Et formis ornare sacris & merce superbâ.
Perficitur magis atq; magis. Jam cardine postes,
Marmoreæ tabulæ solidâ compage tenentur
Juncturisqve; latus circum monumenta politis
Marmoribus grandes tollunt ex arte figuras,
Magnifico & cultu species dignissima templo est.

De erat adhuc pandum convexa per ardua tectum,
Et super impositæ moli formosa coronis,
En! tibi prodigium! subito discedere cœlum
Incipit, & superi clarescere regia mundi
Celsa super remeat, motu tremere omnia visa.
Atq; novum se se genus ostentare benigni
Muneris, obscura præfens in nube verendum.

Ex improvise vibratur ab æthere signum,
Quod circum circa sinuosis flexibus errat,
Donec ad altaris per sacri culmina tecti
Fluxit, honoratas sedes sibi vindicat, Aram.
Turba stupet percussa timens regale Tonantis
Munus, & allapsum quo sit discrimine Numen?
Multa DEam supplex orat: vel verteret omen
Propitia, aut stabile hoc fixumq; juberet adesse.
Diva parens, inquit, cui vis Mavortia regni est,

Nec

Nec dubium dignis divino munere acumen
 Ingenii tribuis, dubiæ velut arbitra fortis,
 Aspicias hæc, PALLAS, num Te, tot dona ferentes
 Ne quicquam veneramur? & hoc cur omine nostros
 Terrificas animos? dic quid portendat imago hæc?
 Vel, TE, Diva, hujus capiunt jam tædia templi?
 Seu fundatam horres arcem, seu triste minaris
 Exitium? Quid vis? quâ spe demittis olympo
 Hoc à Te structum augurium? sic respicis urbem?
 Aut quid fortè paras, fati melioris in alto
 Conscia? da felix ostentum: en! munera habebis
 Uberiora, tuasq; fovebimus amplius aras.
 Certa fides votis. Templi venerabile Numen
 Atq; salus, PALLAS, diâ spectanda figurâ
 Tunc cessasse sibi jubet observare tuendos
 Nascentes muros, & structa palatia Regum.
 Hæsit parietibus, ceu clavo affixa trabali,
 Effigies, fronti q; decus geniale potenti
 Constitit, & valuit vis nulla revellere lignum,
 Lignum quippe fuit, sed nulli cognita forma,
 Nec similis vultus fuerat sub sole repertus,
 Aut his delitiis cœlestibus æmula imago.
 Excipiunt omnes læti promissa Parentis,
 Et factam agnoscunt divina Palladis arte
 Effigiem humanæ supra fastigia fortis.
 Hinc majore parat votorum extendere metas
 Promisso PALLAS: Se, semper imagine salvâ,
 Semper laturam auxilium; seu bella reposcant,
 Seu fortuna ferat patrios munire penates.

Magnus honor ligno est, magna est reverentia formæ,
 Sola Sacerdotis manus ut contingere donum
 Digna putaretur, quoties descendere vellet;

Nec renuit, quoties delabi in brachia jussum,
Illiusq; manum non aspernata locantis:
Ductilis atq; sequax se totam ad Flaminis omne
Imperium finxit, longumq; avulsa morari
Annuit, ac notæ gaudet cessisse ministræ.

Cumq; esset vultu divino & Numine digno,
Haud vulgare, sedet, felicia fata secutis,
Huic dono insigni quoq; par imponere nomen.
Scilicet impositum divinâ à præside servet,
PALLADE; PALLADIUM QVE Patres, pariterq; minores
Natu, **PALLADIUM** donum hoc cœleste salutant.
Nec tamen illusos spe prolatabat inani.
Nam Divæ steterat fixum, superisq; placebat
Imperium hîc fundare loci, cultumq; perennem,
Salvo ut **PALLADIO**, salvum cum **PALLADE** templum;
Urbs quoq; salva foret, salvæ omnes Numinis aræ.

Quod penes invictæ semper custodia Trojæ,
Et tranquilla quies staret, pacisq; potestas.
Terribilem faciem fore, si vel sæviat armis
Infandum minitans hostis, vel prælia poscat
Incassum, proprio si non spoliatur honore
PALLAS; At excidium contra fatale minatur,
Si periisse velint, desolatamq; videre
Exoptent urbem, tentent violare sacratum
PALLADI, & hoc signo condente oracula divum
Se periisse sciant, desolatosque penates
Deplorent. Monet hæc **PALLAS,** monet ipsa sacerdos.

His ergò auspiciis mansit tutissima Troja
Disidio pugnisq; procul, discrimina Martis
Tot vicina sibi secura hac Præside versat.
Sæpe Virum scutata phalanx, equitumq; volantum
Turma ferox Urbi, sæpè intentaverat ictus;

Ac

Ac veluti ex sylvis rabiosa caterva luporum
 Prorumpens armenta petit, pecudumq; cohortem,
 Investigando circumspicit undiq; rimas,
 Propter humum tacitè repens, jam limina tentat
 Ungue acri, donec præda potiatur opima :
 Haud aliter trepido qvatiunt terrore manipuli
 Trojam invasuri, regniq; evertere sceptrum
 Et circumfessos inimico tollere ferro.
 Sed PALLAS: Tu parce metu, me præside sospes,
 Inquit, eris, pro Te stat imago hæc, inclyta Troja,
 Stat pro Te majus mortali robore robur,
 Estq; fides dictis. Munivit mœnia PALLAS,
 Pennatæq; ruunt, sed non impune sagittæ,
 Imbelles quas hostis agit, nervisq; solutis,
 Ictæ semper eunt, remeant sine vulnere inanes.
 O Te felicem TROJAM, vereq; beatam!
 PALLADII incolumis Tibi si mansisset imago
 Ipsa quoq; incolumis stares, aliisq; subactis
 Imperio & terram regeres populumq; superstes;
 Nec te spes hominum, studiumq; fidele DEorum
 Deseruisse inter qverereris damna secuta.
 Sed non invidiæ fuit evitare venenum,
 Quæ te ter miseram toties malè perdere visa est,
 Præcipitemq; dedit, per apertam tempore fraudem,
 Compositumq; dolum, qui vel metuendus ab hoste,
 Iliacos intra muros, nec ab hoste, sed ipso
 Cive timendus erat cœcis latitante tenebris.
 Indecores animos pudet hîc, miseretq; ruinæ;
 Ad quam nos miseræ revocat labor ultimus Urbis.
 ANTENORIS quid enim perjuri facta morabor,
 Telaq; squamosi rivis manantia fellis?
 Atq; Attidarum Ducis haud per cuncta fidelis,

ÆNE-

ÆNEÆQUE dolos communes? Fraude malignâ
Argolicos juvenes notâ regione viarum
Et circumfuso fallentes milite turmas
In Templum hi ducunt præfago Numine captum;
Et sic Trojanis cum multo sanguine miscent
Prælia, perculsamq; Urbem tot cladibus implent.
Et quam nec pugnae, quam nullum vincere ferrum;
Nec multa immanis poterat feritate Tyrannus
Exuperare minis, nec tot victricibus armis,
Arx oppressa Ducis malefidi fraude, suorumq;
Atq; Sacerdotis pergrandi mole metalli
Corrupti, THOA socio ductore, laborat.
Auri sacra fames, quæ non tibi pervia sternis?
Fit facilis via, sunt expectatiq; triumpho
Hostibus in mediis, modo prava cupido secundet.

Præsidio amisso quæ non discrimina vexant
Dardanos? passim cumulatur funere funus,
Et furor hostilis lætis successibus ibat.
Nimbosus veluti montanis labitur amnis,
Quando voluminibus rapidis nemus omne domosq;
Pigraq; Saxa trahit, pestemq; sequacibus undis
Infert areolis mediis, lætisq; racemis:
Haud secus armorum victricia signa per Urbem,
Cum fremitu infano latè bacchantur eundo,
Nec sine strage furit crudi violentia Martis;
Sic inter rapidum flammaram vorticem & æstum
Inclyta Troja ruit, per nubila vecta superbo
Nomine, quâ toto nec erat præstantior orbe,
Nec tam Dædaleo moles congesta labore;
In cineres abiens bustum ferale relinquit.

Sed satis antiquo decursum est tramite. Lusit
Hactenus Aonio nostra huc subvecta volatu
Musa

Musa, sibi veteres quoniam mendacia vates
Finxerunt. Versa texamus arundine telam,
Quantulacumque mihi suggererit optima PALLAS
Et cantare suo de se permiserit ore.

Non lignum, aut mutos lapides, non aenea fingas
In caelo monumenta. Haec si placuere vetusto
Seculo, abite procul fraudes, mendacia abite:
Vera magis penetrant, fas est nunc vera fateri.
PALLADIUM aeternum salve, SAPIENTIA Salve
Caelo nata, Patris summi natura, DEUSQUE,
Perfaciles pulchra concinnans indole mentes,
Seu sit opus SUMMI penetralia promere Regis,
Seu THEMIDOS, Justique animos, sacrumque movere
ASTRAE munus, MEDICOS seu pandere fontes,
Aut SOPHIAE campos referare, undantia propter
Flumina, pectoribus quoties inducitur ardor,
Aemula vel Virtus juvenes, & gloria pungit.
Talem PALLADII volupe est spectare figuram,
Si cum pace datur venerandum accedere Numen,
Illud & ex Teucris ad nostra referre Lycæa.
Hic simulacra vides verae sapientiae, & ora
Divinis expressa notis, impressa libellis.
Nam pariter nostrum caelo delabitur ad nos
PALLADIUM occultans mirando tegmine vultum.
Unde repercusso sapientia promicat auro,
In Templis haerens divinae Palladi apertis,
Palladi, in aethereo quae culmine creta, sine omni
Semine, creta tamen certo post tempore virgo,
Virginis est gremio cerebroque egressa Parentis.
In terras venit divini prodiga amoris,
Prodiga & aeternae pacis; fulgentior auro,
Nec rutilis gemmis, nec concessura pyropis,

B

Nec

Nec minor Eoæ redivivo sidere lucis.
Qvâ sine qvid Mundus? qvid in orbe volubilis axis,
Aut qvid præsidii sperarit machina tota?
Qvam requiem populus, qvam qvælibet ora salutem?
Hic nisi cœlesti connecteret omnia vinclo
Nostra immortalis PALLAS, Patris edita corde?
Hæc donare valet miseris gratisima qvæqve;
Imperium sceptris conservans, civibus urbes,
Nobilitat cives opibus, numeroq; recenset.
Nam pater æternus labentia Tempora, scholasqve,
Regnorumq; apices æternâ lege coërcens,
Non peritura locat salvo fundamine tecta.
PALLADIO huic locus est mortali in pectore, & extrâ
Vile videtur opus, ligni vilissimi imago:
Interiora latent, & qvæ sit forma, neqvimus
Usurpare oculis, nativa ita fallimur arte!
Finibus angustis contenta, minorq; coërcet
Summa. Sed interea pauperrimâ in indole vires
Colligit, ut surgat spatiosis amplior oris,
Ingenium si nacta bonum, mentemqve capacem.
Sæpe genus, titulos & stemmata spernit avorum,
Et claros habuisse patres: Volat omnia supra
Pallas, ut ingenui soboles generosa parentis,
Excipit ipsa novo divina puerpera velo
Progeniem dulcis vescentem munere lucis,
Illustratq; caput, ne sit sine nomine truncus,
Cui substernentes famulantia brachia Musæ
Perfundunt suavi rorantia labra lepore,
Mentem habilem reddunt, solerti & acumine fingunt,
Ad capienda animi monumenta, ad tempora vitæ
Artibus exornanda bonis, ut fronte modestâ,
Et gravibus dictis divina oracula genti

Pan-

Pandat: Quæ genus hoc nostrum mercede redemptum?
Quæ reddenda DEO sint vota? quibusve litemus
Quisq; sacris? quonam cultu DEus usq; colendus?
Quæq; fides aris? quæ sit reverentia legi?
Grande ministerium, magnum & memorabile donum!

Res hominum monstrat conscripto jure tueri,
Discere jura Patrum, & quæ sint statuta nepotum.
Palladii species hæc jucundissima! Quod si
Sic justî rectiq; tenax mansisset uterq;
Et Paris & Priamus, si non aliena secuti,
Aut odisse nefas, per vimq; ablata, parati
Reddere, Trojaq; adhuc cœlo se tolleret: Isti &
Tâm magis insignes tenuissent regia sceptrâ,
Quàm magis excusso perierunt versa pudore!

Illum Pœoniâ formandum destinat arte,
Arcere ut manes orco, ut depellere tristes
Morborum fibras queat. Hæc pulcherrima laus est,
Et celebratus honor veniens à Palladis arte.
Pallas enim gaudet tantarum culmine laudum,
Illa aras MEDICO statuit, lauroq; coronat.

Cecropiæ tandem quis nescit dona Minervæ,
Erudiit si quando aliquos? Hoc munere plures
Exculti obscuris potuere emergere vicis,
Culmen ad excelsum scandendo maxima vota
Implere, & vitæ rebus dare mille salutes.
O quantum hæc iterum facies delectat alumnos!
Sed quisnam cunctas formas, quæ poscere honoris
Summi contendunt dubio in certamine palmam,
Fortè recensuerit? primas dabit optima Pallas
Illa opifex laudum, formas qui finxerit arte
Pro numero pariles, tribuens eum laude coronas,
Unicuiq; suam. En! se se offert ipsa videndam.

Vos oculi salvete mihi, salvete decores!
Salve, cœlo nata, tuoq; simillima fonti,
Formarumq; ferax! quantum hoc est pignus amoris,
Largifluo cornu quod profudisse parentem
Munificum monstrat, simul & descendere cœlum
Cum dono hoc certum est? O terq; quaterq; beata
Urbs! cujus civi similis sapientiæ & Artis
Fulget imago, velut crocæ Pallantidos oræ.
Unica cantandas inter celebraberis Urbes,
His cœli stellata oculis! cui, cesserit ultrò
Agminibus stipata suis pulcherrima Pallas,
Ut superet majore gradu Trojana theatra,
Palladiumque Ipsum tam pulchra dote refellat,
Parce tuis contra talem, quicumq; phalangas
Instruis, aut contra cives, vel tecta domorum
Ire jubes pharetras, aut belli fulgura misces.
En! tibi Pallas adest, Regina potentior omni
Hoste. Tenet divina arma Hæc, armisq; ministrat
Invictas vires, facilemque in bella juventam
Ire jubet contra. Quid? fortiter ipsa repellit
Theffala lethiferis quæ tinxit tela venenis
Hostis, & invictam Trojam nec damna timentem
Sponder, & invictos pacato Numine cives.

Ast quorsum abripior? Quid fallor imagine lucis,
Luce ipsâ fulgente? aliud quid quærimus extra
Palladium? video flammis lucere cacumen
In Te, TORGA, quod est longè præstantius illo
Dardanidum, quo Te pariter jactabis ad ALBIM.

Ceu textis incincta rosis Aurora capillum
Splendidior solito surgit rutilantibus astris,
Cum pictas Horas roseo temone lacescit:
Par cœlo descendit honor Tibi, TORGA, sereni

Numi-

Numinis allapsu, Trójæq; simillima forma,
 Sed spectanda magis, magis admiranda catervæ
 In numerum tibi gratanti, lætæq; juventæ.
 Felices inter fortunatissima TORGA,
 MISNENSES urbes inter celeberrima, Divi
 Delitiæ ENSIGERI, decus inclytum? O inclyta TORGA,
 Te volo. Namq; Tibi par donum PALLADIS instar
 Attribuit delapsa suo CONCORDIA libro.
 Rumpe moras tantæ complectere munera divæ,
 Munera quæ soboli, quæ civi credidit urbis.
 Num Tibi tam cultum confert, pulchrumq; viretum,
 Quàm cum flore scholas cultas? quàm fertile cornu
 Copiæ, & effigiem radiantibus undiq; formis,
 Qualia puniceis turgent mala aurea granis,
 Quæ radius cœli rubicundo purpurat ostro,
 Corticulis exclusa suis. Hic candida Pallas
 Palladiumq; sedet. Noli sic spernere dona
 Felices factura viros, genitura Magistros,
 Omnes PALLADIOS fœcundo palmite fructus.
 Quæq; Tibi potior sit laus, quæ gloria major?
 Quàm quod personuit communis voce Magistri,
 Hæc schola, quod cathedras animaverit ipse PHILIPPUS,
 Cui nigra terra dedit, quo fato, nescio, nomen,
 Quamvis ille niger, quî sit, cui candida Pallas
 Largiter Ambrosio resperfit labra lepore?
 Si nescis forsan? viginti lustra recense
 Et quinquagenis annectas bina retrorsum
 Annorum spatia, exortum jubar inde patebit,
 Unde refulserunt pulsa caligine Turres.

Scilicet atra lues WITTEBERGÆ expellere visa est
 Cum cathedris Musas omnes, & templa scholasq;,

Et ne tabifico VETUS URBS serpente veneno
Inficeret cunctos, miserando aut perderet ictu;
Aëra non purum vitare examina malunt,
Illibata procul nullique obnoxia labi
Tecta subire tua, O TORGA. Hinc vestigia promptus
Ductorum sequitur Grex omnis: TORGA repletur,
Accessere PROFESSORES, quos inter EBERUS
Theilogiæ lumen, cui circumfusa juvenus
Se totam impendit studiis solata laborem,
Quid reliquos memorem PROCERES docta arte potentes?
Quos studiosorum multâ stipante catervâ
Hic paries vidit, miratus in indole vires,
Sive aperire sacros latices sapientiæ & usus,
Sive salutiferis Juvenum fuit annibus ardor
Corda rigare, gravi vel dogmate tingere mentes;
PALLAS adest meritas designatura coronas,
Et non PALLADII venerandum nomen haberet
Hic locus, atq; schola hæc? quin, antea & ipsa LUTHERI
Vox excelsa, DEI fundens purissima verba,
Luminis æterni radiis perfusa, locavit
PALLADIUM augustum, & penetralibus intulit olim
TORGÆ: dum toties ejus facundia Tempora
Replet, & æthereo feliciter acta volatu
Plusquam PALLADIAS per mundum præparat artes.
Ecquis enim nescit, TORGÆ informasse LUTHERUM
ARTICULOS FIDEI, prius hinc quàm Numine plenus
Pergeret AUGUSTAM, sese oppositurus Averno
Intrepidè, & quod mente piâ conceperat, ore
Confessus. Et en! cœptis felicibus aura
Divina afflavit: VERISSIMA, & ipse fatetur
CAROLUS Augustus, cœlesti HUNC ore locutum.
Annon PALLADIO species dignissima tanto

Auspi.

Auspice dicatur cœlo delapsa? sub axe
 SAXONICO invenisse locum, speciosaq; Templâ
 Hic fixisse sibi? certè illo ex tempore major
 Veri crevit honos tantis regionibus auctus.
 Pars adversa ferox quid non tentavit inani
 Spe summæ potiundæ arcis? persæpe citatis
 Militibus, belli armorumq; frequente paratu
 Conati ignitis per mille incendia gyris
 Perdere PALLADIUM hoc, quo se Germania tota
 Jactat, & è terrâ caput inter sidera tollit,
 Et dare SAXONIAM prædam fatale tuentem
 Palladium, patriæ decus, ac pietatis Ocellum.
 Sed prohibet divina manus, magis inde resurgit,
 AUGUSTANA, loci, CONFESSIO, nomine dicta,
 Unde perit, viresq; hostis dum dissipat, auget,
 Insidiis ergò quærenda via est? quia ferro
 Hostis tentavit nequicquam. Hac arte recludi
 Forte sibi sperat Portas, & mœnia pandi?
 Qualis ubi umbrosos dum saltus occupat auceps,
 Pennigeris instans gregibus, setam induit escâ,
 Tutius ut lateat: Simul ac incautior ales
 Irruit impactis alis sit præda petenti.
 Nam dum legitimi veram sententia forte
 Concilii ambiguis rationem proderet armis,
 INTEREA ancipitem nobis obtrudere FORMAM
 DOCTRINÆ exoptat, stragemq; immittere Papa,
 Dumq; repentino turbata ECCLESIA motu
 ZWINGLII, & INTEREA MIXTI Gregis, ANTINOMORUM,
 Atq; Synergistarum, Osiandri, deniq; Flacj
 Anfractus dubios, mox incubitura pericla,
 Indignumq; jugum late passura dolebat.
 Quiq; alios inter vastâ se mole gigantes

In

Infelix rerum coetus DISCORDIÆ, & arma
Exitiumq; parare movent, Fideiq; ruinas,
Et si quid poterant aliud graviusq; minantur;
Ecce! perire decus visum est DISCORDIA eorum
Qui voluere suas, se tantum interprete, voces
Divinis æquare libris, meliora monentes
Temnere. Palladium tunc hoc ferale cadaver
Dixisses. Nisi mox alius concordibus ardor
Mentibus, illi instare operi, CONCORDIA ab uno
Quod sortitum animo nomen, concorde tuendum
Auspicio, adversus contraria tela, fuisset.
Nam DEUS auxilio est, ubi spes vel nulla salutis.
Auxit is innatam cœlesti munere formam
Palladii, atque novos in frontem afflavit honores;
AUGUSTI auspiciis, pietate & Marte potentis.
Huc ades, ELECTOR, felix! Tua provida cura
Fulmen & arma rapit; nec deerat causa Triumphi.
Stant Fidei secura suæ pia pectora, stabit
Relligionis opus nunquam superabile, salvo
Palladio Augusto, quod nostrâ prodiit Urbe,
Concordi sensu scriptis fallacibus obstans;
Non minus ingeniis summis, quàm laude locorum
Nobile, quo sese jactat mea TORGA priorem
Et Natalitiis Ejus se laudibus effert,
Quod LIBER hic primùm AUGUSTO sub Principe, centum
Ante ipsos annos, à defensore sacrorum,
FLORE Virum, magno studio fabricatus in Arce
Argelicâ. Quod nulla Meæ vis eximet avi
Ferreâ, quin maneat laudati semper honores.
Quo sine nec sublime caput super alta tulisset
Priscus honor veræ doctrinæ augustior ipsa
Augustâ, intrepidè quam voce professus apertâ es,

Dive

Dive LUTHERE, tuo Magno sub SAXONE, Patre;
Relligionis opus, multo præstantior auro.
Non ulla hîc fallax species metuenda docentis,
Nulla superciliis fastu sævoque furore
Impietas fucum faciet. Vis callida surgat
Disponens hinc inde plagas famulantibus iris,
Horrida vibratos nitatur Erinnyis in angues:
Hic tibi firmus obex adverso robore stabit
FORMULA, quâ visâ veluti ceu Gorgone, fraudes
Sponte cadent hebetes, & lingua dolosa rigebit
Hæreseon portentâ vomens, tetricosq; vapores,
Pellet & hæreticum virus CONCORDIÆ hic ardor,
Numine divino plenus, concordibus armis
Declinans jactus, ictusq; eludet inanes,
CHRISTI evecturus sublimi verba triumpho.

Vade per occiduos, O felix TORGA, Sicambros
Admirare, quod his hoc munus fortè negatum,
Et Tibi commissum; munus, quo lectius ullum
Non datur in toto, nec erit præstantius, orbe;
Splendida lux verbi est, non concessura nec ullis
Vel Phœbi facibus, quoties redivivus ab undis
Eois multo rupes fulgore Riphæas
Pingit, nec terris, nec & ipsi imitabile cœlo.
Quod si per multos nobiscum manserit annos,
Et Tibi PALLADIUM hoc proprium mea TORGA, feratur:
I, tantis redimita bonis, caput exere, longè
Vecta super nubes, per & iras vade leonum.
Præsidio stipata bono es. Tibi prodiga semper
Descendet promissa salus, tutela perennis.
I, metuenda tuis inimicis, PALLADE salva,
PALLADIOQUE tuo hoc artes deluseris omnes,
Si quas molitur vecors DISCORDIA. Contra;
Munita hoc fido clypeo: sese aspera GORGON
PALLADOS objiciet victrix, domitura Cyclopas.
Sic procul Hæreseon telis, per mutuum amorem
Incipies cunctis jam formidabilis esse.
Stans inconcusso Templo, Tuaque inclyta Tecta
Omnipotente DEI dextrâ, cœloque fayente,
Hostiles cuneos disiectos undiq; cernent.

Jubilet ergò cohors omnis, quamcunq; beatam
AUGUSTANA facit sancto CONFESSIO libro.
Jubilat ELECTOR, lætus, quod SAXONIS oris,
Tot sacris comprehensa libris, non oblita fuco,
Sed sincera Fides, nullis infecta venenis
Tecta & sarta hodie centum duraverit annos.
Quid Tibi non nostrum, Dux CLEMENTISSIME, debet
Hoc tutelâ illustre Tuâ, cultuq; benigno
Palladium radians & tantâ luce coruscum?

C

Sis

314/0564

Sis felix, sis noster amor. Te sidera circum,
Aligerumq; cohors, Regum fidissima custos,
Ambiat, & fero tandem deponat olympo.
Nos hoc, quo licuit, cumulamur munera laudum,
Magne Pater, SAXO, damus hos pietatis honores,
Lilia vergentes calathos cum thure frequenti.
Vivas ELECTOR, JANUSQVE GEORGIUS ALTER,
Relligionis opus cedris sublimibus æves.

Jubilat ARGELIA, & festis concentibus hymnos
Alternans toto fervet lætissima cœlo.
Et cives gaudent, tantum comprehendere munus
Jubila tergemina geminantes, JUBILA, voce.

At Tu SUMME DEUS, celso super æthere custos
Tu custos noster, Tu PALLADIQVE Patronus,
Afferis augustum munus, quod ab æthere lapsum
Credidit antiquus, quodque hæc veneramur in URBE,
Quid non speremus? nova si sic Gratia visa est
Addi, visa novo splendescere tecta decore,
PALLADIUMQVE hominum ingeniis committere habendum,
Pro quo nunc grates Tibi nos, quas possumus unquam,
Dicimus, O venerande PATER, DEUS Optime, Grates
Dicimus. Omne tuum est, quodcunq; exinde sacrorum
Cernitur instauratum: quo nostriq; penates
Se ter felices jactabunt munere, & omnis
Posteritas gratos æqvè celebrabit honores,
Certatura Fide simul & vestigia Patrum
Pone sequi, solvendo Tibi præconia laudum.

Ac veluti æternum, per millia secula, Numen
Esse tuum constat: Sic & constantius astris
Palladium hoc facias PETRAMQVE URBEMQVE, perennem.
Quodque olim fecit CONCORDIA fœdus, ad illud
Omnes scripturæ tendant, huc conscia vocum
Fœdera conspirent sacrarum, hæc Symbola nostra:
Hi nostri fasces, hæc sunt commercia, cœlo
Quæ pepigit TORGÆ pravi rectique sequestra,
Nec mentitæ pacis amans Ecclesia. In illo
Immoti semper maneamus cælite partu
Munere: ut Hæreticis stet inexpugnabile, & omnes
Tandem exoptatâ tot votis pace fruamur.



107

J.J.
19,68

(X 20444/13)

Ye
564

I. N. J.
PALLADIUM TORGENSE,

In
FESTO SECVL
FORMULÆ CONG
Præfente

Serenissimo Electore Saxon. Domino

DN. JOHA
GEORG

Juliae Clevæ & Berg
Burggravio Magdeburge

Ejusq; jussu die VII. Junii Ann

Qvo jam

Ante ipsum seculum à su

iisque Orthodox

TORGÆ CONGREGATIS, CONSC
primùm prodierat, inq; Arce Elec
nomen trahente

Sereniss. Elect. p. m. A

fuerat exhibit

Mythologicè brevibus lineis

à

M. JACOBO REICHMA

Torg. Rectore.

TORGÆ

Literis JOHANNIS ZACHARIÆ
Elect. Saxon. Typ

